QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS VIGESIMA SEPTIMA FEBRVARII.

M. NICOLAO LANGLOYS Doctore Medico Moderatore.

An temperamentum quarti Climatis optimum? 767



ÆLVM & elementa Mundum absoluunt; ex his fiunt mixta triplici compositione, elementari, similari, & dissimilari. Illud cunctorum generationi præest, efficitque omnia, non substantiali principio, sed accidentali, motu puta, qui tam varius est, quam multiplex cæli, rectus, transuersus, trepidationis, ex aduerso, à latere, secundum longitudinem, secundum latitudinem, omnes necessarij sunt. Vtimur recto ad mensuram cæterorũ; hic mutationis expers, nec remissior, nec velocior: alij difformes, nec tam breui spatio finiuntur: rectus seu primi motoris perennitatis rerum causa est, obliquus mutationis: hæc in vniuersum generatione & corruptione completur; vtramque sol accessu & recessu perficit, cæteri Planetæ iuuant; mutatio hæc non in cælo quod incorruptibile est, sed in terra fit, quam sol vel rectis vel obliquis radijs illustrat, rectos sentit tum Æquatoris, tum quæ inter vtrumque Polum iacet plaga, obliqui à Tropicis ad Polum vtrumque pertingunt: hinc Zonas finxêre Astronomi, varias ob accessum & recessum solis, habitabiles duas siue temperatas, torridam vnam, frigidissimas duas, in quibus miserè homines degunt. Sed & Climata dedêre, quorum cognitio Medicis necessaria. Septem cum antiquis statuimus, tu petito discrimen illorum à Solis calore, motuque. Primum est feruentissimum, secundum & tertium minus calida, septimum frigidissimum, sextum & quintum calidiora, quartum vtriusque extremi particeps optimum & temperatissimum habeto.



T anni tempora, sic hominum temperies à Sole sunt. Sub Æquatore, bis Ver, bis Æstas redit; sub Tropicis longissima Æstas, breuis Hyems: secundo & tertio Climate, Æstas longa; nobis, cæterisque Borealibus Æstas breuis & Canicularis. Hyems quò plus ad Polum accedes, eò longior. Quarto Climate Ver, Æstas, Autumnus, Hyems, omnia temperata; ipsa etiam hominum temperies naturam Climatis seruat retinetque. Viuens quidem omne calidum & humidum est; attamen Illyrij, Sarmatæ, Germani, Poloni, Moscouitæ, Angli, Scoti, Galli, frigidiores sunt Indis, Æthiopibus, Ægyptijs, Africis, cæterisque qui tum Æquatoris, tum vtriusque Tropici & secundi tertii-ue Climatis plagam incolunt. Quarto Climate temperiem habent optimam, non ad pondus quidem illam, quæ dari non potest, sed ad iusticiam & commensuratam ad actiones humanæ speciei debitas præclarè obeundas. Nullum genus, nulla species, nullum indiuiduum simile vnquam alteri temperamentum habuit: attamen quarti Climatis homines plus inter se temperamento similes sunt, quam sint inter se cæterorum Climatum incolæ. Cæli medium Æquator tenet. Illum Sol bis in anno conscendit, fitque tunc diei nox æqualis, sed non vbique par temperies, suam semper crâsim retinente quarto Climate, sub quo sedet Cnidius, Cous, Rhodius, in quibus tam rectè quarti Climatis medium statuimus, quam rectè in eodem humani temperamenti medium assignamus.



VLLVM signum est quo mentis habitus detegas, pauca & incerta quibus ingenium, plurima quibus sanitatem & temperamentum agnoscas; illa actionum naturalium vitalium & animalium integritate subsistit, sedem habet in similari parte vel dissimilari, quodammodo in spiritibus, nusquam in humoribus: qualitas est cui contrarius morbus; virtus est quædam corporis, quę vel naturaliter siccitate, assiduo triplicis substantiæ efluxu & excrementorum prouentu euanescit, vel violenter, casu, contusione, cæterisque pathematis naturæ infensis perit. Data quidem est omnibus ad vitam, sed diuersa, perfectam ille, alius perfectiorem, tertius perfectissimam obtinuit: præstantissimæ sanitatis causa perfectissimum temperamentum est, cuius explorator tactus est primus & fidissimus; attamen cum multiplex sit temperamentum, mixti, viuentis, influens, innatum, potentiale, actuale, per tactum viuentium temperamenti cognitionem assequimur, cętera experimento & ratione colligimus: quamquam biliosi, melancholici, pituitosi & sanguinei temperamenti rationem eruamus ab habitu, colore & conformatione corporis, pilo, actionibus, ætate & regione. An puer iuuene calidior? An Ver temperatũ? Pueri plus ad Orientaliũ & Veris, iuuenes plus ad Æstatis & Meridionalium naturã accedunt. Ætas consistentiæ temperata est, nec nisi cum declinat Occidentis Autumnique vitiorum particeps; hinc frigidissima senectus velut Polaris regio & Hyems. Interim obserua temperameti optimi signa esse commoderationem in caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate, mediocritatem partium in quantitate, numero, figura, situ, mollitie & duritie, lęuitate & hirsutie, denique actionum integritatem & colorem optimum, quibus adde pulchritudinem, non fucatam illam, sed quæ ex apta membrorum conformatione consurgit.



OMINES primi à Boreali Polo Scythę sunt, proceri, molles, crassi, liuidi, capillis planis, flauis, pectore ventreque glabris, humidissimi & breuissimæ vitę: ab his Moscouitę, Angli, Scoti, Germani, Poloni, candidi, pingues, sufflauo pilo, citò canescunt. Romani, Veneti, cerebro sunt maxime excrementitio; cęteri ad quartum Clima, Galli præsertim, fortes sunt, magnanimi, bellicosi, in ijs vigere incipit & diffundi vitalis calor, ex quo plus in illis sanguinis, plus rosei coloris, plus sensuum, plus ingenij, plus in conformatione corporis industriæ deprehendes; non tamen perfectissimum tẽperamentum; à quo longius absunt, qui sub primo, secundo & tertio Climate sedent, Barbari, Nigritę, Numidę, Ægyptij, Alexandrini, quorum omnium conformatio diuersa est, eóque perfectior, quò quarto climati viciniores sunt. Afrorum omniũ cutis vsta, sicca, dura, color faciei subfuscus, pili nigri, thorax hispidus, mores tyrannici, corpus macilentum, atrabiliarium, inæqualis vita, Numidarum longa, Libyorum breuior, Nigritarum breuissima: iam Ægyptiorum crispi capilli, membra distorta, pectus eminens, læsæ conformationis indicia sunt. Vbique monstrum in Africa. Singulare istud quód sub humana specie offenditur, Pygmęi, quibus nec hominis temperamentum, nec anima, nec intellectus. Alexandrini vt commodiore aëre fruuntur, sic temperatiore crâsi gaudent, quæ vitę, animique actiones absolutè perfici diceremus, nisi qui illos adhuc à proximitate Tropici feruor incendit, quodammodo impediret.



EQVATORIS plaga veteribus incognita, iam à nonnullis colitur, sed operosè: vita quidem calore constat, sed mediocri, non intenso, qualem illic radiorum directione, propinquitate & morâ sentiunt Æthiopes, quibus tam prauus animus, quam deforme corpus est, pilos habent fragiles, caput nauiculare; cætera minus bene conformata. Vnicus ergo tum ad vitę, tum ad animi actiones perfectè obeundas, optabilis tractus quarti Climatis, in quo homines iustę magnitudinis, calidi & humidi, figura capitis concinnâ, capillis dum nascuntur subrufis, mox subflauis & tandem vbi adoleuerint omnimodè flauis, & extremitate crispis, immunes à caluitio, color illis genarũ rubeus, cætero corpore candidus, vis sensuum eximia, mores vrbani, venæ sanguinis plenæ, liberę arterię, facilis anhelitus, sub molli cute insignes musculi, à quibus humani corporis habitum repeto, quem nec in istis hominibus crassum, nec tenuem offendes, sed inter vtrumque medium, aluus illis lubrica, & excrementorum impatiens corpus, sanitas exquisita, morbi, si prospiciant, pauci & rari; plures ex his mortem & expectant & experiuntur naturalem. Fortunati eiusce Climatis incolæ, sunt Cous, Rhodius, Cnidius, Asianus, temperamento, actionibus, vita longa, corpore, animo, terra, cœlo, aere, ventis, iuuentute, senectute, *omni ex parte beati.*

Ergo temperamentum quarti Climatis optimum. 209.

Proponebat Lutetiæ GERMANVS PREAVX Parisiensis. A. R. S. H. M. DC. XXXI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Anselmus Bicquet. M. R.
M. Gilbertus Puylon.
M. Victor Pallu.

M. Dionysius Basin.
M. Ioannes Bonter.
M. Ioannes Complainuille.

M. Ioannes Cousin.
M. Ioannes Pietre.
M. Philbertus Guibert.

